

debam, præsens, quod rubrica Dissertationis refert, argumentum pertractare, & fanaticos nostræ gentis precipuos, Historica saltem narratione, breviter commemorare mecum constitui. Publice vero rogatos monitosque volo omnes, quotquot Historie Patriæ illustrandæ operam navant, ut, si qua in re lapsum me forte deprehenderint, me hominem & nihil humani alienum à me esse meminerint. DEVS autem nostro labore ex alto benedicat !

I.

Ante vero quam in amplum hunc differendi cam-
pum me inferam, paucis exponendum est, qui-
nam dicantur *Fanatici*, & quid vocabulo hoc apud La-
tinos denotetur. Ubi quidem negari non potest, il-
lud semel & iterum apud aureæ castæque *Latinitatis Scriptores* (a) legi, et sumi pro homine ^{EV. DEO.} Numine
afflato furiis correpto, qui à Dæmone incitatus apud
non Christianos divinabat & quærentibus responsa
dabat: usu tamen et loquendi consuetudine à *Theologis* recepta præter *ILLOS*, qui diviniori scripture ac
reliquis salvandi mediis vim & auctoritatem impie dero-
gant et contra nescio quos, divinos afflatus, visiones An-
gelicas atque cœlestes revelationes temere jactant & men-
tiuntur, EOS quoque notat homines, qui simulata vi-
te sanctimonia cumentes sacrum in Ecclesia & Republ. or-
dinem impugnant & perturbant, regnumque aliquod in
bis

A 3

(a) Cic. pro Domo sua §. 105. homo fanaticus. Liv. lib. XXXVIII.
c. 16. fanatico carinine vaticinantes. it. Juven. Sat. II. p. 112. crine
Senex fanaticus albo sacerorum antistes. à Fano autem derivari
Fanaticum, nemo non videt, in fanis enim hujusmodi homines
sacris operabantur. Vid. Lexicogr. h. v.